Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

ergo cū accepisset cohortē apparitores et phariseis ministros. venit
illuc cū laternis et facibus et armis. Jhesus autem sciens omnia q̄ ventura erant
super eum processit et dixit eis. Quem quaeritis. Responderunt ei. Jesum nazarenum. Dicit eis jhesus. Ego sum. Stabat autem et judas qui tradebat
eum cum ipsis. Vt ergo dixit eis ego sum. abierunt retrorsum et ceciderunt in terram. Iterum ergo eos interrogavit. Quem quaeritis.
Illi autem dixerunt. Jesum nazarenum. Respondit jhesus. Dixi vobis quia
ego sum. Si ergo me quaeritis sinite hos abire. Vt impleret sermo
quem dixit. quia quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam.
Simon ergo petrus habens gladium eduxit eum et percussit pontificis
servum et abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem
nomen servo malchus. Dixit ergo jhesus petro. Mitte gladium
in vaginam. Calicem quem dedit mihi pater non bibam illum. Cohors
ergo et tribunus et ministri judeorum comprehenderunt jhesum et vinxerunt eum. et adduxerunt eum ad annam primum. Erat autem
socer caiphae qui erat pontifex anni illius. Erat autem
caiphas qui consilium dederat judeis. quia expedit unum
hominem mori pro populo. Sequebatur autem jhesum simon
petrus. et alius discipulus. Discipulus autem ille erat
notus pontifici. et introivit cum jhesu in atrium pontificis.
petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus
alius qui erat notus pontifici. et dixit ostiariae. et introduxit
petrum. Dixit ergo petro ancilla ostiaria. Nunquid et tu ex discipulis es hominis istius. Dicit ille. Non sum. Stabant autem servi et ministri ad prunas quia frigus erat. et
calefaciebant se. Erat autem cum eis petrus stans et calefaciens se. Pontifex ergo interrogavit jhesum de discipulis suis
et de doctrina eius. Respondit ei jhesus. Ego palam locutus sum mundo.
Ego semper docui in synagoga et in templo quo omnes